Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

Jacobus <de Voragine>

[S.l.], [14. Jahrh.]

De sancto Vincencio

urn:nbn:de:bsz:31-66161

Visual Library

Non sic ad thalamum nupta properaret
ut ad supplicii locum leta successu gra-
du festina virgo processit. De ambro-
sius in prefatione. Hec agnes generositatis oblecta-
menta despiciens celestem meruit dig-
nitatem. Societatis humane vota con-
temptens eterni regis est sociata consor-
tio. Preciosam mortem pro Christi confessione
suscipiens simul facta est ei conformis.

Vincencius quasi vicia **De nomine**
incendens. vel vincens incendia
vel victoriam tenens. Ipse enim incendit
id est consumpsit vicia peccatorum morti-
ficatione. vicit incendia suppli-
ciorum per instantem perpessionem. victoriam
tenuit mundi per ipsius despectionem.
Vicit enim tria in mundo scilicet falsos errores
inmundos amores. mundanos ti-
mores. quos vicit per sapientiam mundi-
ciam et constanciam. De quibus dicit Augustinus.
Ut cum omnibus amoribus et timoribus
et erroribus vincatur hic mundus.
sanctorum martyria docuerunt. Eius passionem quam
dicitur beatus Augustinus asseruerunt compilasse. quam
Prudentius versibus luculenter exequi-
tur.

De sancto vincentio

Vincentius nobilis genere sed fide
ac religione nobilior. beati vale-
rii episcopi dyaconus fuit. Cui episcopus eo quod im-
peditioris lingue fuit vices suas
commiserat et ipse oracioni et contemplatio-
ni vacabat. Iussu quoque daciani presidis
valentiam trahuntur et dire carceri
mancipantur. Cumque eos fame penitus
defecisse crederet eos suo aspectu
iussit astare. Quos dum sanos cerneret et
gaudentes iratus in hanc vocem pro-
rupit. Quid dicis tu valeri qui sub no-
mine religionis contra decreta
principum facis. Cui autem beatus valeri-
us lenius respondet dixit ei vincentius. Noli
pater venerabilis quasi mente timida sub-
murmurare. sed libera voce exclama. Si
ergo iubes pater sancte iudicem ag-
gredior. Cui ille iam dudum fili ka-
rissime loquendi curam tibi commiseram.
sed nunc pro fide qua astamus responsa committo.
Tunc vincentius conversus ad dacianum
hactenus inquit a te sermo denegan-
di prodiit. sed nefarium apud pruden-
tiam christianorum est cognoscere. divinitatis
cultum abnegando blasphemare.
Tunc iratus dacianus episcopum in exilium
mitti precepit. vincentium vero tam-
quam contumacem et presumptuosum iuve-
nem ut eius exemplo alii terreantur
in eculeo distentum membris omnibus
dissipari. Cumque totus corpore dissipa-
tus esset ait dacianus. Dic mihi vincenti
ubi tuum nunc miserum corpus inspi-
cis. At ille subridens ait. hoc est quod
semper optavi. Tunc iratus cepit
ei omnia genera tormentorum minari nisi
sensum preberet. Cui vincentius. O me
felicem. nam quanto mihi irasci te gra-
vius putas tanto melius incipis misereri.
Insurge ergo miser et toto maligni-
tatis spiritu debacchare. videbis
me dei virtute plus posse dum torque-
or quam possis ipse qui torques. Ad hec
preses cepit clamare et carnifices vir-
gis et fustibus urgere. Et ait vincen-
tius. Quid dicis daciane. Ecce tu ipse
me vindicas de apparitoribus meis.
Tunc preses factus amens. dixit car-
nificibus. miserrimi. nichil facitis. Cur
deficiunt manus vestre. adulteros et pa-
tricidas vincere potuistis. ut nichil
inter illata supplicia possent celare.
et nunc solus vincentius vobis potuit

superare tormen. Tunc carnifices pe
tines ferreos usque ad intima costa
rum fixerunt. ita ut de toto eius corpore
sanguis effluerat. et solutis costa
rum compaginibus uiscera intima
patent. Et ait datianus. Miserere tui
Vincenti. ut posses tam pulchram
recuperare iuuentutem. et ea que super
sunt uitare tormenta. Et ait Vin
centius. O uenenosa diaboli lingua.
tormenta tua non timeo. sed hoc ual
de timeo. quod te michi fingis uelle
misereri. Nam quo te magis ira
tum uideo. eo amplius exulto. Nolo
ut aliquid minuas de suppliciis.
ut te uictum in omnibus fatearis. Tunc
ex eculeo depositus. atque ad ignis
patibulum raptus. moras carnifi
cum arguendo. ad penam alacriter pro
perabat. Craticulam igitur sponte conscen
dens. ibidem assatur. exuritur. et crema
tur. membris omnibus uncini ferrei et ar
dentes lamine infiguntur. Vndique
sanguine flamma respergitur. Vul
neribus uulnera imprimuntur. Sal in
super in igne spargitur. ut in corpore eius
undique uulnerum pessiliens stri
dentibus flammis crudelius combure
tur. Itaque non iam ad artus sed ad uiscera
tela iaciunt. ipsaque interna uisce
ra de eius corpore extra labuntur. Inter hec manens
immotus ille dei famulus et sursum
erectis luminibus dominum precabatur. Cumque
hec ministri datiano retulissent.
heu ait datianus. uincimur. sed eum
iam de terrimo carcere includite. et ibi
testas acutissimas colligite. pedes
eius ligno affigite. sine omni huma
no solatio extensum super testas reli
quite. et cum defecerit michi renunciate. Sta

tim quidam ministri crudeles domino cru
deliori. sed ecce rex pro quo miles pati
tur penam commutat in gloriam. Nam te
nebre carceris ab immenso lumine
expelluntur. testarum asperitas in omnium
florum suauitatem mutatur. pedes dis
soluuntur. et angelorum solatio uenera
do perfruitur. Cumque super flores cum ange
lis psallens incederet. modulatio dul
cis et mira suauitas florum procul dif
funditur. Perterriti custodes cum per rimas
carceris. quid intus erat uiderent. ad
fidem conuersi sunt. Hec audiens datianus amens
factus est. et ait. Et quid ei amplius fa
ciemus. Ecce iam uicti sumus. Transferatur
ad lectulum et in stramentis mollioribus
reponatur. ne plus eum gloriosum faciamus
si forte defecerit in tormentis. Cum igitur ad
stratum molliorem deportatus esset. et
idem paululum quieuisset. statim spiritum
tradidit. circa annum domini. cc. lxxxvii.
sub dyocletiano et maximiano im
peratoribus. Quo audito datianus ue
hementer sic se uictum dolens ait. Et
si non potui eum superare uiuentem. pu
niam uel defunctum. et sic satiabor de
pena. et si non potui in pugnare uictor.
Iussu igitur datiani corpus eius in campum ab
auibus et bestiis deuorandum exponitur.
sed statim angelorum custodia premuni
tur. et intactum ab eis conseruatur.
Veniensque coruus ingluuiei deditus.
alias aues se maiores impetu ala
abegit. et lupum accurrentem morsi
bus et clamoribus effugauit. Qui re
flexo capite in aspectum corporis sac
fixus est. ut puto quod idem angelorum
custodiam mirabatur. Quod audiens
datianus ait. Puto quod nec defunctum po
tero superare. Iubet igitur corpus eius ingentem

molae alligari et in pelago praecipitari et quod
absumi non potuit in terra, sal-
tem in pelago marinis beluis devoretur.
Nautae igitur corpus eius in pelago deferentes sub-
merguntur, sed ipsis nautis velocius littora pe-
tentibus quaedam matrona et quibusdam
aliis invenitur Christo revelante et ab eis
honorifice sepelitur. De hoc martyre dicit Augustinus:
Beatus Vincentius vicit in verbis, vicit in poenis,
vicit in confessione, vicit in tribulatione,
vicit exustus, vicit submersus, vicit tortus,
vicit mortuus. Item: Torquetur Vincentius
ut exerceatur, flagellatur ut erudiatur, tun-
ditur ut solidetur, exuritur ut purgetur.
Ambrosius quoque in praefatione ait: Torquetur
Vincentius, tunditur, flagellatur, exuritur,
sed invictus pro sacro nomine non concutitur. Plus
ardens igne zeli quam ferri, plus nectitur
timore Dei quam saeculi, plus voluit pla-
cere Deo quam saeculo, plus dilexit mori mun-
do quam Domino. Augustinus: Ante oculos nostros ma-
gnum spectaculum constitutum est: videre
iniquum tortorem, invictum martyrem, in vice crudeli-
tatis pietatis certamen. Prudentius
etiam claruit tempore Theodosii senioris
qui coepit regnare anno Domini CCCLXXX-
VII, ipsum Datiano dixisse ait: Tormen-
ta, carcer, ungulae, stridensque flammis la-
mina, atque ipsa poenarum ultima mors
christianis ludus est. Tunc Datianus: Vinctum re-
tortis brachiis sursum ac deorsum exten-
dite, compago donec ossuum divulsa mem-
bratim crepet ut per lacunas vulnerum
iecur retectum palpitet. Ridebat hic
miles Dei manusque cruentas palpitans,
quod fixa non profundius intraret artus
ungula. Cum esset in carcere angelus ad
eum venit: Exsurge, inclite martyr, ex-
surge securus tuis et almis coetibus nunc
sodalis adde. O miles invictissime for-
tissimorum fortior. Iam te ipsa saeva et as-
pera tormenta victorem tremunt. Excla-
mat Prudentius: Tu solus orbis inclite,
solus beatus duplicis palmam tuli-
sti, tu duas simul parasti laureas.

Basilius **De sancto Basilio. De nomine.**
venerabilis episcopus et doctor egregius fuit, cuius sanctitas cuidam heremitae
nomine Effrem in visu monstrata est. Cum
enim idem Effrem in extasi positus esset, vi-
dit columnam ignis cuius caput usque ad
caelum pertingebat, et audivit vocem de-
super dicentem: Talis est magnus Basilius
qualis haec columna ignis quam cernis. Ve-
nit igitur in civitatem in die epiphaniae
ut tantum virum videre posset, et videns eum
stola candida indutum cum clericis vene-
rabiliter procedentem, ait intra se: Ut vi-
deo in vacuum laboravi. Iste enim cum in ta-
li honore sit positus, nequaquam potest esse
quemadmodum vidi. Nos enim qui por-
tavimus pondus diei et aestus nihil tale con-
secuti sumus, et hic cum in tali honore
et constipatione positus sit columna
ignis est? Miror ista. Basilius igitur in spiritu
videns fecit eum ad se introduci. Cumque
introductus esset, vidit linguam igneam
per os eius loquentem et ait Effrem: Vere
magnus Basilius, vere Spiritus Sanctus loquitur per
os eius. Deprecor Effrem ait: Obsecro domine
ut mihi impetres quod graece loquar. Cui Ba-
silius: Rem difficilem postulasti. Precatus ta-
men oravit et continuo graece loqui coepit.
Quidam alius heremita videns Basilium a-
vas in pontificali habitu procedentem eum de-
spexit, iudicans in corde suo quod in tali pom-
pa plurimum delectaretur. Et ecce facta est vox
ad eum dicens: Tu amplius delectaris in
palpando caudam catti tui quam delectetur
Basilius in apparatu suo. Basilius magis